DE PROSCRIPTIONE UNCORUM ACUTORUM IN PRAXI ARTIS...

Giovanni Battista medico
Buzzoni (medico)

DE PROSCRIPTIONE

UNCORUM ACUTORUM

IN PRAXI

ARTIS OBSTETRICIAE

DISSERTATIO ACADEMICA

QUAM

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA CONSEQUENDOS

HABUIT

IN PATAVINA SCIENTIARUM

UNIVERSITATE

JOANNES BAPTISTA BUZZONI

BRIXIENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXII.

EGREGIO · VIRO

IOSEPH · SCHIANTARELLI

MEDICO · ET · CHIRVRGO · PRAESTANTISSIMO

OPTIME · DE · BRIXIENSI · NOSOCOMIO

MERITO

AMICO · ET · FAMILIARI · SVO · DVLCISSIMO

A V C T O R

D · D · D ·

Cum in regia Ticinensi studiorum Universitate aliquot abhinc annis animum ad obstetriciam artem adjicerem, illud mirabar, in ea scientiae parte, quam *instrumentalem* dicimus, incredibilem fere instrumentorum copiam adsci, quibus persaepe vel genitrix, vel fetus laedi potest; ex quo plerumque fit, ut alteruter, aut etiam uterque mortem obeat. Praecipue acutorum uncorum usum consideravi, quem tamquam supervacaneum in primo intuitu consideravi innixus sane quibusdam theoreticis principiis sane paucis, et incertis, cum neque certam in hac re sententiam ferre possem et inconsulto inveteratam methodum immutare. Sciebam aliunde, quaestiones parum valere, ubi res ipsa loquitur, et id in medicina saepissime accidere, ut praxis judicium hominum, ceteroquin ingeniosorum, fallat, et theoricis praeceptis etiam pulcherrimis potior sit. Ex lectione tum antiquorum, tum recentium

auctorum, qui de obstetricia arte disseruerunt, et ex observatione, quam cum auctorum ipsorum placitis non semel comparavi, simulque ex eo, quod meis oculis aliquoties inspexi, concludere mihi datum fuit, acutorum uncorum usum minime necessarium esse, ac propterea in obstetriciorum praesidiorum numerum non esse admittendum. Ipse enim nec convenit ut plurimum, nec humanitati consentaneus invenitur. Quamobrem, ut academicis legibus satisfaciam, vestra, Praeceptores celeberrimi, humanitate fretus, nonnulla super hanc rem mihi disputanda sumo. Quod passim summorum virorum scripta continent antiquitate jam rarissima, brevi colligam. Velim meum laborem non inutilem chirurgis futurum, et me fructum mei studii retulisse credam, si ipsi ex hac disputatiuncula, quid justum et certum in tanto argumento judicium faciendum sit agnoscant; mors enim, aut vita unius hominis, aut plurium, saepe hinc consequitur, et instat.

Mihi chirurgicae artis historiam pervolventi videtur tempus extitisse, quo magistri animum ad id fere unice converterent, et in eo omnem laudem collocarent, ut ad chirurgicas administrationes aut nova instrumenta invenirent, aut vetera in aliam formam redigerent quae im-

perfecta credidissent. Hinc innumerabilis instrumentorum series venit, in quibus chirurgica illa quasi armamentaria consistunt, ubi nihil plerumque, praeter antiquitatem, et inutiles conatus hominum ceteroquin ingeniosorum observator, qui nullo partium studio laboret, suspicit et admiratur. Haud aliter videmus iis accidisse, qui sese arti obstetriciae tradiderunt. Quamquam administrationes in hoc genere nimium circumscribi possint, tamen facta ad id instrumenta tam multa sunt, ut plura fortasse habeantur, quam quae chirurgia offert; perinde ac si difficiles partus pro numero instrumentorum deberent augeri, neque magis arduum esset instrumentis simplicibus recte uti, quam complicata et saepe mortem inferentia componere.

Sub finem elapsi saeculi doctissimis quibusdam (1) viris innotuit, quam perniciosum arti foret, si homines hoc uno studio celebritatem quaererent; quapropter generatim pauca instrumenta accepta fuerunt, ut laquei, vectis, forceps, unci obtusi et acuti, alia quae perforationi variae et sectioni pubis inserviunt, et gastro-hysterotomiae, diversimode conformata (2). Neque in hoc solum praeclarissimi auctores bene de arte obstetricia meriti sunt, sed etiam docuerunt, qua ratione partus qui-

dam difficiles manus ope feliciter succederent, qui antea obtusum, aut acutum ferrum postulabant, et instrumentis incidentibus, unde saepe aut fetui aut matri necessaria mors impendebat, alia blandiora et humaniora suffecerunt. Ex eo tempore majorem quam antea naturae viribus fidem habuerunt; cujus rei argumentum illud est, quod partuum artificialium numerus valde diminutus fuit, et simul auctus eorum qui sponte et naturae industria locum habent (3).

Si de uncis acutis, qui antiquitus adhibebantur, frequentissime loquuntur qui obstetriciam artem profitentur, ipsorum tamen usus maxime circumscriptus fuit, et casus absolute determinati fuerunt, in quibus constat aliquam eorum necessitatem, et utilitatem adesse.

Utiles esse uncos acutos demonstrant viri celeberrimi Mauriceau, Pen, Guillemeau, Smellie, Baudeloque, Gardien, et alii quamplurimi; id quod docent etiam nostra hac aetate omnes obstetriciae artis institutores, et generatim hujusmodi instrumentum in praxi summopere commodum habent. Unus Asdrubali (4), quemadmodum intellexi, illud proscripsit cum iis omnibus fere, quae tunc temporis cognoscebantur. Ita vero utilia etiam instrumenta rejiciebantur, sicuti erant unci obtusi; et praeterea illud ac-

cessit, quod ipse sine examine sententiam tulit, nec aliam rationem proposuit, ex qua partus, in quibus illa adhibebantur, auxilium aliquod haberent, et ad bonum exitum perducerentur. Quare factum est, ut ejus opinio penitus rejecta fuerit. Sed ut ego, quantum per me fieri potest, notam effugiam, qua ille laboravit, haec mihi consideranda propono: I. modum quo agit uncus acutus; II. singulos casus, in quibus ejus usus utilis et necessarius existimatur; III. denique id quaero, an sit alia agendi ratio magis opportuna, quae in unoquoque casu suffici queat.

I.

De unco acuto, de ejus usu, et agendi modo.

Hasta (5) ex ferro rotunda et teres, crassa tres lineas, longa pollices quindecim, cum duabus extremitatibus recurvis, quarum una pollicem aequat, et ita curvata, ut apex ejus acutus pollice distet ab hasta majori, altera autem duos pollices circiter longa cum apice obtuso, distans ab hasta majori pollices duos, constituit uncum acutum; cujus majoris momenti est prima pars, dum altera inservit tamquam fulcrum manui operanti, et in quibusdam casibus munere fungitur unci obtusi.

Acutus uncus, qualem descripsi, adhibetur modo sequenti. Manu dextra capitur extremitas hastae respondentis unco obtuso; hinc introducitur ad planam formam, uno praecedente, aut duobus digitis manus sinistrae usque ad partem fetus respondentem, ad quam applicandus est; deinde operator cum hasta, quam arripuit, motum curat rotationis circa axem longitudinalem ejusdem hastae per quartam partem circumferentiae, atque ita, ut apex unci convertatur super fetum, numquam vero super internam uteri superficiem. Perducto ad hoc punctum instrumento, aliqua infigitur vi, at simul caute in partem fetus, ad quam ipse respondet, et idcirco plerumque necesse est ferre extremitatem instrumenti, quae superest extra vaginam, ad latus genitricis oppositum alteri, in quod prius introductum instrumentum fuit; in pluribus enim casibus hac una mechanica ratione chirurgus cavere potest, ne apex unci proxime tangat superficiem duram, aut mollem fetus, et efficit, ut ipse recte dirigatur, et verticaliter infigatur.

Quod autem magis interest in hoc casu, motus est rotationis, quo unci apex in illa directione magis opportuna convertatur, ut fetus facilius prehendatur, quodque spatium requirit liberum unius pollicis inter fetum et uterum;

quandoquidem, ut superius memini, tantum extremitas acuminata unci distat ab hasta longa; quemadmodum vero hoc spatium inter fetum et uterum numquam existit post fluxum aquarum, oportet, ut ipsum ab ejusdem ferri vi derivetur, id quod non nisi cum detrimento superficiei internae uteri fieri potest praesertim si contractus sit. Postquam uncus infixus fuerit in partibus fetus, spatium, quod hasta occupat, est trium linearum, quia talis, ut dixi, ejus diameter est. Quod si consideremus, hoc instrumentum plerumque applicari juxta latera ipsius fetus, manifesto patebit, non jam unum, sed duplicem uncum esse administrandum, quemlibet scilicet ad quodlibet latus, et tunc dimidia pollicis pars erit spatium a duobus uncis occupatum inter externam fetus, et internam uteri superficiem.

Nonnulli ex obstetriciae artis cultoribus solent, unum uncum acutum applicare, et existimant, eum in quolibet casu satis esse. Sed doctrina istiusmodi fallax est, nisi cum uncus occipiti admovendus sit, quod perquam raro accidit. At si unus uncus lateribus capitis infigatur, trahentes vires in ipsum factae necessario debent latus oppositum capitis convertere, et ducere hanc partem ad exitum pelvis in directione praeternaturali. Ita si uncus ap-

plicetur ad verticem, diameter occipito-frontalis debet respondere diametro antero-posteriori ambitus superioris pelvis, quod illum longitudine exaequat; hoc quidem ad extrahendum fetum minime confert; si uncus ad frontem admotus sit, transitus capitis nullo modo locum habere potest, quia diameter occipito-mentalis quinque pollices extensa viam numquam pertransit, cujus latitudo sit quatuor pollicum; talis enim est longitudo diametri rectae in ambitu superiori pelvis amplitudinis communis.

Attamen quicumque saepius difficilibus partubus interfuerit, uno unco acuto fetum extrahi posse plerumque observavit. In quo sane convenio, quamquam idcirco praxis non sancita sit, quam oppugno. In duobus casibus, ubi unus uncus ad latera capitis admotus erat, vidi extractum fetum post longas et molestissimas tractiones, quae tam magnas contusiones in inferiori segmento uteri produxerunt, ut matres brevissima hora enecarent, quamvis postea diametri capitis fetus, et diametri pelvis maternae in justa proportione inter se essent. Sic alia vice extractus fetus fuit uno unco infixo in alterum ex duobus temporibus, etsi omnes diametri capitis superarent uno pollice ordinariam longitudinem, et materna pel-

vis vix naturales dimensiones haberet; sed hic transitus capitis violenter partem sinistram laceraverat segmenti inferioris uteri, et etiam vaginam; ex quo mulier, antequam hora ab operatione praeteriret, mortem obiit. Hic infelix exitus subsecutus est omnes fere casus, in quibus Smellie (6) uno unco usus fuit. Patet igitur, applicationem unius unci, quamquam saepe ad extrahendum fetum satis sit, tamen in pluribus casibus dimensiones capitis fetus, et illas maternae pelvis in proportione non aequa ita collocare, ut certissimum periculum laboranti feminae creet; quod ex magna parte diminutum foret, si admoveretur instrumentum ad utrumque latus ipsius fetus. Haec sunt, quae de unci applicatione diximus.

Modus vero agendi deducitur ab effectibus immediatis ejusdem instrumenti, et ab iis, quae postea consequuntur.

Prior effectus immediatus et necessarius applicationis unci acuti est levis illa dilatatio cavitatis uterinae, quam producit, ut superius notavi, instrumentum, cum operatoris manus imprimit ibidem illum rotationis motum, ex quo apex fertur ad contactum superficiei fetus in modum magis opportunum, ut ejusdem partes verticaliter, et firmiter a ferro comprehendantur. Quemadmodum uterus post a-

quarum flexum arcte in quolibet suo puncto fetum complectitur, ita haec dilatatio, etsi pollicem non excedat, violenter facta esse debet, et propterea veluti morbosa potentia habenda est in interna uteri superficie; ex hac morbosa actione consequitur simplex vellicatio, ubi uterus relaxatus sit, et caput fetus super ambitum pelvis superiorem appareat; consequitur contusio nimis gravis, aut fractura uteri, si motus fiat eo temporis momento, cum uterus nimis contractus sit, sive cum caput fetus praeseferat volumen aliquanto majus, sive cum idem descendat in minoris pelvis excavationem, quamquam naturales dimensiones suas retineat. Ita patet, uncum actionem plus minusve molestam in genitricis partes exercere.

Ex unci acuti applicatione alium effectum immediatum habemus, scilicet vulnus fetus, et mortem. Hinc generatim prohibitus est hujus instrumenti in viventem fetum usus. Certe si ad cranium applicetur, ut frequentius fit, gravissima inde cerebri laesio sequitur; si admoveatur ad pectus, aut ad claviculam, nocet organis respirationis, aut amplioribus vasis, quae summitatem thoracis occupant; si adhaereat ad parietes ventris, et ad imum deprimatur, ut abdomen laceret et pectus in casi-

bus ascitis et hydrotomiae, quod saepe Smellie (7) fecit, profecto ne punctum quidem temporis huic operationi superstes est fetus. Non ignoro claris. Pen (8) operationis historiam referre in qua cum sibi proposuisset uncum in ductum acusticum intromittere, idque etiam perficeret, fetum extraxit, qui plures dies vixit. Hic ego solum observo (alias enim uberius loquar), hunc processum in pluribus casibus ob instrumenti formam, locum, directionem, et structuram ductus acustici tantas et tam insuperabiles difficultates offerre, ut non solum dubitare de hac historia liceat, sed etiam inter ea, quae fieri nullo modo possunt, idem ipsum numerandum sit. Probari ergo non potest applicatio unci in fetum viventem, nec illius credendus est talis usus, ut immediate et necessario fetus mors non sequatur.

Post unci applicationem veniunt tractiones quibus fetus deprimi solet. Si uncum hoc operationis momento consideremus, ipse est tamquam potentia agens in directione axium pelvis, et tamquam supplementum viribus uteri inertibus, vel alia ex causa debilitatis ante tempus, et ad expellendum fetum minus opportunis. Unci applicatio et usus nullam vim hoc modo habet, ut ossa cranii comprimat, ejus capacitatem imminuat, et dimensiones cu-

juscumque partis fetus ne minimum quidem adstringat. Quapropter id solummodo ab unco expectare possumus, quod virium uteri vices gerat, quae in hujus visceris fundo insident, earum nempe, quae a fibris ejus longitudinalibus proficiscuntur, et inserviunt deprimendo ad imum corpori, quod illius cavitatem occupat. Quae cum ita sint, affirmamus, uncum acutum agere in matrem irritando plus minusve internam uteri superficiem, et agere in fetum, quem occidit, et in imum impellit.

II.

De casibus, qui unci acuti usum requirunt.

Si partuum species quae unci acuti opem requirunt ab instrumenti forma, ab accidentibus applicationem comitantibus, et ab agendi modo deducerentur, ipsae profecto paucissimae forent, et una simul omnes convenirent ex necessitate violentum et lethale ferrum adhibitum fuisse. Sed quamquam haec doctrina magis sana et opportuna his diebus videri possit, ut in simili argumento quam maxima diligentia opus sit, dicendum est, ex ea nullam normam extitisse, quae partus, in quibus uncus esset necessarius, determinaret. Quos partus cum plerumque vel casus vel ipse obstetricus sta-

biliret pro minori, aut majori fiducia, quam rationibus dabat majoris utilitatis, et mitioris actionis, vel determinaret etiam cognitio nunc levis, nunc magna relationum, quae inter fetus volumen, et canalis vulvo-uterini capacitatem existunt; factum est, ut species partuum in magnum numerum crescerent; quod etiam invaluit tunc, cum ars obstetricia studio et observatione celeberrimorum auctorum, seculo altero declinante et hoc nostro incipiente, ad maximam perfectionem, ut opinio est, et ad mechanicarum legum evidentiam pervenit. Quod quidem ex sequentibus casibus arguitur; necessaria enim creditur acuti unci applicatio:

I. Cum caput fetus divisum a trunco remaneat in utero. (Pen, Guillemau, Smellie).

II. Cum caput fetus disjunctum, aut adhaerens trunco ob putrefactionem molle factum ita sit, ut forceps nequeat vim habere ad extrahendum fetum opportunam satis. (Baudeloque).

III. In omnibus casibus, in quibus immediate partus perficiendus sit, et cum mortui fetus caput pelvis ostium occupet. (Le Fond, Baudeloque).

IV. Cum caput fetus mortui sit in superiore ambitu, aut vix ingressum in excavationem pel-

vis minoris; sed cum partus maxima sollicitudine compleri debeat, pernicies matri immineret, si caput repulsum esset, et pedes quaererentur; quod accidit, cum aquae jampridem effluxerunt, aut cum uterus nimis est contractus, tensus, et dolens. (Baudeloque).

V. Cum truncus ipsius fetus a capite separatus uterum occupet. (Baudeloque, et alii quamplures).

VI. In casu hydrothoracis, vel ascitis, ubi morbi istiusmodi impediant partus absolutionem, et fetus vivus, vel mortuus sit. (Smellie).

VII. Cum caput vivi fetus est arcte cunei ad instar pubis ossibus insertum; tunc enim unci pars acuminata immitti debet in ductum auditivum. (Pen).

VIII. Cum caput fetus mortui impeditum sit, et consistat in puncto quolibet excavationis pelvis parvae, ex quacumque causa partum interrumpente. (Diction. Enciclop. Chirurgiae).

Excipiuntur ab hac serie omnes illi casus, in quibus, ne partus perficiatur, impedit major, minorve asymmetria inter volumen fetus, et vaginae capacitatem. Certe uncus hanc inaequalitatem non jam diminuit, sed e contrario auget. Hoc referendum etiam est ad cuneationem.

Forma autem unci, collocatio et structura ductus auditivi fetus septimum casum satis rejiciunt. 1.° Ea est unci forma, ut apex acuminatus debeat introduci in partes fetus per lineam parallelam hastae longiori (9), super quam tractiones fiunt; ut uncus in ductum auditivum penetrare posset, ipsius apex lineam perpendicularem hastae longiori sequi deberet. Sed hoc est absurdum; itaque fieri nequit, quod tunc Pen proponit. 2.° Collocatio ductus auditivi. Orificium externum hujus canalis positum est in medio cujusdam plani ossei, et ex omni parte separatum est a periphaeria hujus plani spatio unius pollicis cum dimidio ad duos pollices circiter. Quemadmodum apex unci pollice distat ab hasta longa, et partes circa orificium ductus cum debeant, ut apex progrediatur in ipsum, insinuari inter apicem et hastam longam, ita nullo modo factum esse id cognoscimus, quod tamen a se factum Pen asserit; non enim spatium majus a minori continetur. 3.° Structura ductus. Auditivus ductus incipiens ab externo suo orificio constat ex substantia cartilaginea, quae eo mollior est, quo fetus tenerior, et hoc per spatium duarum linearum cum dimidio ad tres lineas circiter in fetu maturo. Altera hujus ductus pars prope tympanum ex ossea substantia componitur. Nunc vero si uncus in

portione cartilaginea infigatur, potentia trahens non eam vim habebit, ut ad imum deprimat ipsius fetus caput; et hinc gravis laceratio integumentorum cranii consequetur. Circumstantiae autem duo praecedentes obstaculo sunt, ne uncus in osseam ductus portionem sese insinuet. Trium harum propositionum evidentia elucet ex eo, quod inutilis prorsus sit omnis conatus ad tentandam applicationem unci in ductum auditivum extra uterum in fetu maturo et bene conformato. Quaecumque in hoc casu tentamina (quamvis varia quasi in infinitum sit capitis et unci positio, quod haud haberi potest, cum caput consistat, et cuneatum sit in cavitate pelvis) nonnisi magno labore efficiunt, ut apex unci immittatur per lineam, vel paullo amplius, intra externum ductus orificium (10). Sic etiam septimus casus excluditur, et comprobatur, quod uncus ad fetum applicari nequeat, nisi mors immediata contingat,

III.

De iis, quae unco acuto substitui utiliter possunt.

Ex iis, quae modo diximus, patet, considerationem formae unci acuti, et modi agen-

di satis esse, ut non tam multi casus habeantur, in quibus utilem et necessarium hujus instrumenti usum credamus. Restat nunc, ut videamus alios casus, qui supersunt, et an subsidium, quod acutus uncus ferre potest, sit anteponendum aliis, quibus hodie ars obstetricia locuples est.

I. Caput fetus a trunco divisum, et in utero relictum multas ac varias indicationes exhibere potest. Estne in ambitu superiori, in cavitate, aut in ambitu inferiori? Bene an male sese offert? uterus contractus, an iners? capitis forma naturalis ne est, an parum illam vel multum excedit? pelvis bene ne, an male conformata est? Hae sunt totidem quaestiones, quae complicatam faciunt propositionem primam, et speciales casus offerunt. Ubi applicatio acuti unci locum opportune et necessario habere potest, ille casus est, cum caput haeret in ambitu superiori, dimensionibus regularibus gaudet, bene sese offert, sed non ultra procedit, eo quia uterus omnino iners est, pelvis materna apte est configurata, et haemorrhagia uterina nimis copiosa compleri partum illicet postulat. In hoc casu, inquiunt plures, si forcipis applicatio fiat, caput vix tactum extollitur in ampla cavitate uterina, et effugit, positione sua immutata; hinc uncum

acutum necessarium esse contendunt. Sed illud animadvertendum est, caput locum mutare tam sub usu unci, quam forcipis, quod tamen impediri potest, si alia manus opem ferat, et comprimat mulieris abdomen ab alto, et ab anteriori parte ad posteriorem, scilicet in directione axis ambitus superioris. Hoc modo si caput consistat, unco, aut forcipe, prout chirurgo placet, non tam difficile arripi potest. Generatim ars obstetricia praescribit, ut anteponantur instrumenta obtusa pungentibus, aut incidentibus, quando idem effectus per haec, aut per illa obtineri possit idque hisce de causis. 1.° Ea, quae consequuntur ex incisionibus, et ex vulneribus, graviora sunt, quam quae ex moderata compressione procedunt. 2.° Instrumenta incidentia, et acuminata magis, quam obtusa, feminam terrent. 3.° Siquid sinistrum oriatur ex mala applicatione illorum instrumentorum, id plerumque fatale est; e contrario levissimum damnum ex mala istorum applicatione sequitur. Ex quibus argumentis Chirurgus sibimetipsi facile suadebit hoc in casu forcipem esse unco acuto praeferendam. Multo autem minus conveniet uncus, si caput habeat volumen naturali majus, aut si materna pelvis intra angustiores limites coerceatur. Hoc in casu sola forceps extrahit caput, hoc

aut illud vitium corrigit, et simul omnem vitat partium compressionem. Si vero caput magni voluminis sit, cephalotomia (11) semper ejusdem instrumenti applicationem praecedat. Silentio praetereo alias variationes, quas caput a trunco sejunctum, et in utero relictum exhibere potest. Istae enim ex iis, quae supra demonstravimus, unci acuti necessitatem evidenter excludunt.

II. Quoad alterum casum si putrefactio ad altum gradum pervenerit, non solum forceps caput arripere non poterit, sed ossa cranii natura sua jam mollia ob putrefactionem ita laxa et remissa erunt, ut uncus ipse ea jam perforata laceraverit, nec umquam prehenderit, quamquam vis adhibita non ita magna sit (12). Sic caput per frusta extrahitur, nisi forceps adhibeatur, quae veteri, et novae curvaturae extraordinariam adjungat in apprehendendo latitudinem, et excavationem nimis profundam in eodem sensu latitudinis. Haec forceps, quae nihil novi habet, quia, excepta curvatura nova, et fenestris cochlearis utriusque, primae forcipi similis est, quam exhibuit Palfinus, et alteri, quam Gilles Le Daux protulit; complectitur, et constringit fere in omnibus punctis caput fetus, et id obtinet, quod frustra a communi forcipe, et ab uncis desideratur.

Quod si putrefactio in primo gradu sit, quemadmodum ajunt, et nonnisi externam communium integumentorum superficiem invadat, ad extrahendum caput forceps communis recte applicata satis est.

III. Si conditionem specialem, et naturam casuum, quos hic memorat Baudeloque, consideremus, patet, celeberrimum hunc virum sibi illud persuasisse ex eo, quod crederet, unci acuti applicationem esse faciliorem et promptiorem caeteris aliis rationibus ad partum perficiendum. Itaque hunc necessarium esse statuit. Nolo ego hujusmodi factum, quod generatim verum est, negare; sed quisquis videbit, caput, quod ad pelvis ostium se sistit, casum ita simplicem offerre, et ita ad usum forcipis esse accommodatum, ut nulla sit differentia temporis, aut ut sit minima, ubi unum, aut aliud instrumentum adhibeatur. Praeterea hoc loco insuper considerandum est, forcipem introductam, et capiti applicatam quatuor linearum spatium occupare (13) inter matris partes, et ipsum caput, dum unci applicatio liberum unius pollicis spatium necessario, ut jam dixi, in eodem loco exigit. Quemadmodum vero haec duo, ut convenienter applicentur, ambitum inferiorem superare, et ingredi debent in cavitatem pelvis, ubi natura-

lis dimensionis caput totum jam spatium occupat, manifestum est, vim illam, quae ad obtinendum unius pollicis spatium in unci applicatione adhibetur, debere ex tertia parte illam excedere, quam forceps ad quatuor linearum spatium requirit; quae vis in mulieris partes agens non solum tollit utilitatem quae ex majori celeritate attendenda est, sed etiam superstitem affectionem morbosam inducit ab instrumenti forma unice excitatam. Cum igitur partus sine ulla mora perficiendus est, si caput fetus mortui ad ostium pelvis sit, forceps acuto unco semper anteponi debet.

IV. Iis omnibus quae Baudeloque in hoc argumento complectitur, referendum est quidquid diximus de capite, quod a trunco separatum est, et in utero relictum. Sunt tamen aliqua inter hunc casum, et priores discrimina: I. quia in uno casu caput effugit, et in novo situ collocatur, cum prima vice instrumenta introducuntur; quod non contingit in alio casu, cum integrum corpus fetus in utero sit; II. quia si fetus sit super ambitum superiorem, et in principio cavitatis, ejus distantia ab externo vaginae orificio talis est, ut omnes scriptores una simul affirment, nulla in hoc casu haberi posse certa mortis indicia. Quod si omittamus, quaecumque diximus de modo extrahendi capitis a

trunco divisi, secunda circumstantia tanti momenti est, ut cauto chirurgo persuadeat forcipem, relictis uncis, eligere; ex quo obtinetur effectus principalis, scilicet extractio fetus, atque inde etiam servandae vitae spes exsurgit.

V. Truncus ipsius fetus a capite disjungi, et ob varias causas in utero remanere potest. Ex vitiosa positione humerorum in ambitu superiori, ut accidit, cum humeri sequuntur directionem diametri rectae, aut transversae ambitus superioris, aut cum gravis hydrothorax adest, aut cum violentissimae vires in usum vocantur a manu imperita, et in directione diversa ab directione axis pelvis. In primo casu redigantur humeri ad directionem unius ex diametris obliquis, in tertio vires corrigantur. Sed in casu utroque, etsi uteri contractio iners sit, nullius utilitatis uncus acutus est; uncus enim obtusus ad axillas applicatus ad extrahendum fetum sufficit. Hydrothorax autem ita amplus, ut partum impediat, inter alia casum sequentem constituit.

VI. Fetus, qui, partus tempore, multa seri collectione afficiuntur in pectoris aut ventris cavitate, ita ut expulsio, sive extractio omnino impediatur, a Smellie tamquam mortui considerabantur. Attigi jam supra agendi methodum qua ad ferendam matribus opem in hoc casu

ille insignis vir utebatur. Inutile modo est demonstrare, hanc methodum hodiernae chirurgiae et arti obstetriciae minime convenire, et rem esse antiquioribus illis temporibus vix concedendam, si majores corporis cavitates omnino lacerentur, ubi per paucas lineas tantum aperiendae sunt, et lacerans instrumentum adhibeatur, ubi incisiones regulares fieri oportet. Quod si mortui considerantur fetus, qui hydrothorace vel ascite laborant, id sane humanitati contrarium est, et legibus. Quamvis enim vivendi facultas in his fetibus tenuis, et etiam minima sit, nullo modo chirurgus arbiter est illius vel brevissimi temporis vitae, quam extra uterum agere fetus potest; idque eo minus, quo plerumque ad hanc vel brevissimam vitam haerent infixa jura successionis, et aliqua negotia magni momenti, ut praesens ipse societatis status fert. Itaque unco acuto substituatur in casu ascitis instrumentum, quod *trois-quarts* appellamus in modum cannulae longae et curvae, quo ad paracenthesim obtinendam utimur vesicae urinariae in adultis. Adhibeamus ad hydrothoracem simile instrumentum, sed in formam camulae planae, ut facilius inter spatia intercostalia aditus pateat. His instrumentis, ubi caute et diligenter adhibeantur, sicut in difficilibus et delicatis admi-

nistrationibus chirurgicis faciendum est, aperientur cavitates, quae fluidum continent, et egressus fluido patebit.

VIII. Quoad acuti unci applicationem, nihil novi habet haec propositio cum prioribus comparata. Incredibilis hic adest numerus casuum, qui cum multa et diversa praesidia postulent, numquam vero uncum requirant, ita extra argumentum sunt. Ne frustra aliqua jam a nobis dicta repetamus, quaestiones praecipuae in numeris I., II., III. et IV. continentur contra illius instrumenti usum; quae quidem quaestiones etiam ad speciales casus extenduntur, quos haec propositio complectitur, et qui acutorum uncorum usum requirere videntur.

Igitur concludamus: uncum acutum observavi in sua forma, in accidentibus, quae ejus applicationem in fetum vivum et mortuum comitari debent, et in ejus agendi modo. Ad examen praeterea revocavi quemlibet casum, qui indicationem aliquam ad hujus instrumenti usum dare poterat, et cum aliis comparavi, unde utilitas manifesta est ex longa experientia, et unanimi practicorum consensu: haec comparatio nos edocuit, uncum acutum nec utilem, nec necessarium esse in exercenda arte obstetricia, quia alia instrumenta haberi possunt minus funesta fetui et matri, et ad for-

mam capitis, et canalis vulvo-uterini magis opportuna. Nihil nunc ego magis exopto quam ut ea, quae breviter collegi, utilia et vera ab obstetriciae artis institutoribus judicentur, et ut tyrones in chirurgia documentum non fallax habeant, et humanitati beneficium accedat, quod totum est meae hujus disputationis argumentum.

ADNOTATIONES

(1) Asdrubali, Manni, Baudeloque etc.

(2) *Gastrohysterotomia* simplex fit secando uterum, et *hysterotomia* fit per viam vaginae, ut fecerunt Lauversat, Symson, Flammant etc. in Gallia, Moscati et Solera in Italia.

(3) Acta Maternitatis Parisiorum per multos annos, inquit Dugès, proportionem partuum artificialium ad partus naturales hanc exhibebant 1 : 57, eo tempore, cum La Chapelle non ita naturae viribus confidebat, quemadmodum postea. Aetatis progressu, in secunda temporis aequali periodo, haec proportio fuit deprehensa 1 : 82. *Diction. de Medecin. et de Chirurgie Pratiques*. Tom. I. pag. 125.

(4) Asdrubali, *Trattato generale d' Ostetricia*. Tom. III. cap. XXIV.

(5) Vide Tabulam in fine.

(6) Smellie, *Observations sur les Accouchemens*. Tom. III.

(7) Opere et Volum. citat.

(8) Pen, *La Pratique des Accouchemens*. Liv. II. §. 6.

(9) Vide Tabulam in fine.

(10) Operae pretium credidi de hoc plura verba facere; posset enim clarissimi viri Pen auctoritas multis imponere; quod si posset uncus in ductum auditivum intromitti, id gravissimi momenti stabilitum esset, ut acutus uncus in fetum vivum adhiberetur sine mortis periculo.

(11) Gardien, *Trattato completo de' parti* etc. T. III. p. 75-76.

(12) Ossa cranii in fetu maturo inciduntur facillime for-

cipe communi, etiam post viginti dies, et amplius a nativitate, quin ullus vel levissimus putrefactionis gradus huic operationi faveat. Hinc cognosci potest, quaenam illorum erit mollities, ubi putrefactio ad secundam, aut ad tertiam periodum pervenerit.

(13) Chalybs, qui efficit cochlearia forcipis ordinariae, in puncto majoris crassitiei duas lineas occupat.

THESES

I.

In obstetriciae artis administratione mora magis, quam celeritas commendanda est.

II.

Extractionem fetus per forcipem minus comitatur periculum, quam per conversionem.

III.


Partus praematurus artificialis plurimi aestimandus est, quatenus per eum gastro-hysterotomiam, et pubis sectionem vitamus.

IV.

Naturae vires ex se plerumque partus illos perficiunt, in quibus instrumentorum usus primo intuitu requiri videtur.

V.

Applicatio instrumenti filis et spleniis confecti, pessarii ad instar quod Itali *zaffo* appellant, magis damnosa, quam utilis in haemorrhagiis uterinis est.


E
D
C
B